



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et
Divortiis, Dissertationes Tres**

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. II. An defunctæ uxoris sororem ducere fas sit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

Nec tibi difficilis videatur historia Boazi, quod dixerit (*Ruth. IV. 10.*) ad excitandum nomen mortui in possessionem ejus, ne excindatur nomen demortui; ut inde mihi objicias, quod eum non vocarint Machlon; sed Obed; item quod ille non esset frater, sed propinquus ejus? Respondeo enim, hanc non fuisse levirationem, sed redemptionem vel vindicationem proximi, qui nuper erat mos in Israele. Et si animum advertas, inveneris in *Aben Esra*, super illa verba: Si habitaverint fratres, Abnegantes Traditionem (*Karæos*) censere, quod non sint fratres proprie dicti, sed propinqui, & adducere probationem ex Boazi historia. Et *Rabbini nostri* jam dixerunt, Judam primum incepisse præceptum levirationis, qui mysterium a patribus acceptum expeditus festinaverit illud confirmare. Ita quoque *Nachmanides* in historia *Thamar*. Quæ omnia cum iis conferri possunt, quæ passim de hoc jure in Hebræorum & Christianorum libris referuntur. Confer *Dissert. nostræ primæ Sect. IV. Cap. VII.* De ritu levirationis prolixè *Seldenus*, aliique complures.

XI. *Questio secunda* est, An defunctæ uxoris sororem, ducere fas sit? Respond. Nequaquam; sive sit soror germana, sive consanguinea, sive uterina, sive legitima, sive naturalis tantum, haud secus illa mihi interdicitur, ac mea propria soror *com. 9. & 11.* contrarium licet statuentibus vulgo Judæis, Pontificiis & quibusdam aliis. *Elias ben Mosche* tamen, cæterique *Karæi* testantur, sororem per argumentationem *ver. 14.* prohibitam esse. Vide sis *Dissert. nostræ I. Sect. IV. Cap. IV. Th. XIX.* Cum per analogiam ejusmodi matrimonium æque sit prohibitum hoc *commate. 16. Cap. XVIII.* Levitici, ubi eadem est carnis propinquitas, cum uxore fratris. Nec est, quod mireris, *Lector*, hanc quæstionem ad hoc comma a me referri, cum *Dissertat. primæ Sect. IV. Cap. IX.* abunde demonstratum, *com. 18.* de polygamia exponendum. Ita venerandus *Beza de Re. & Div. pag. m. 79. 80;* paria esse duobus fratribus eandem, & duabus sororibus eundem conjugari, & cum beato *Calvino* *versum 18.* de polygamia intelligi, docet. *Doctiss. Gerhardus de Conjug. §. 347—350.* ex *versu 18.* uxoris sororem vetitam esse probat, haud ita feliciter, uti *l. c. Dissert. nostræ primæ* ostensum, quia illic additæ restrictiones, in *vita ejus*, ad affligendam eam, satis evincunt, interdictum illud de muliere post alterius mortem, explicari non posse. Ita *Brochmandus* in *Syst. Theol. loco de Conj. Cap. IV. q. 41.* eum casum prohibitum esse

demonstrat ex Lev. XVIII. 6. 18. & 16. Gerhardi, Consistorii Witteberg. nec non Ministerii Hamburgens. Judicia exhibet Dedekennus *Vol. III. Thes. Consil. lib. III. Sect. 11 Tit. 2 Num. 9. 10. 11. & Append. ad Vol. 3. lib. 13. Sect. 2. Tit. 2.* a quibus hæ nuptiæ illicitæ declarantur.

XII. Ad illustrandam hanc quæstionem, operæ pretium me facturum arbitror, si argumenta expendam, quibus Excellent. Bucholtzerus Jctus olim in Acad. Rint. in *Resp. Juris pro Matrim. Principis cum Defunctæ uxoris sorore*, acerrime hunc casum defendit, contra Avemannum, qui pro contraria sententia stetit. Primo, ducentem duas successive sorores peccare, negat. Mosem enim personas non gradus prohibuisse, quia dixerit de vidua fratris, versu 6. & de sororis uxore versu 18. Objicienti Avemanno, si non gradus prohibiti, sequi absurdum, concedi nuptias inter aviam & nepotem, avum & proneptem &c. id non sequi, quandoquidem hi concubitus jus naturæ lædant. Negat etiam, eandem hic esse propinquitatis rationem. Quia versu 16. dicitur, *nuditas fratris tui est.* Quam rationem non existimat quadrare nuptiis cum sorore uxoris, quæ non possit dici nuditas sororis. In sequentibus addit: viduam patruï v. 14. nurum v. 15. fratriam v. 16. privignam v. 17. & sororem v. 18. non esse *carnem carnis* meæ., sed tantum affinitatis nexu mihi conjunctas. Ergo non pertinere ad prohibitionem illam v. 6. ut speciem ad suum genus: eam enim tantum ad proximam sanguinis propinquitatem, & ad casus jure naturali vetitos, esse extendendam; alias etiam ad bestias pertinere eam regulam, de quibus versu 22. Addit, versu 6. esse perpetuam rationem prohibitionis, quæ non admitat exceptionem, at v. 18. sororem, & Deut. 25. fratriam permitti. Denique ad exceptionem Avemanni, filiam nempe privigni vetitam, quod illa sit caro virrici, versu 17. ergo & affinitate sibi junctos *carnem* appellari, respondet, in textu non dici carnem, sed proximas, & inter uxorem & filiam esse propinquitatem proximam, non inter matrem & filiam privigni, adeoque propinquas proximas carnem appellari, non affines.

XIII. Ad illa omnia, quæ disserit Bucholtzerus, respondeo, quod nitantur falsa hypothese, personas, non gradus prohibitos; solos concubitus inter ascendentes & descendentes, parentes & liberos, jus naturale lædere, reliquos lege positiva prohiberi; regulam generalem versu 6. tantum de proxima sanguinis propinquitate,

tate, non de affinitate esse explicandam. Prima assertio, personas non gradus prohibitos, iterum falso fundamento nititur, nempe versu 16. mentionem fieri fratriæ & v. 18. sororis uxoris. Cum *Differ. prima* modo citata, prolixè demonstratum v. 18. polygamiam prohiberi. Pluribus deinde evincam, gradus a Mose intelligi, & plures personas jure naturali vetitas esse, quam parentes & liberos, & qui sunt in linea adscendente & desc. Eandem esse propinquitatem inter virum & fratris uxorem, ac inter uxoris sororem, ratio v. 16. allegata, *nuditas fratris tui est*, non tollit, etsi concedam v. 18. non esse eandem rationem. Sicut enim illic nuditas & turpitudine fratris est, ita sororis nuditatis resectio est turpitudine uxoris tuæ. Cui accedit, quod verba Levit. xx. 21. sine ulla absurditate, quam in eorum applicatione ad uxorem, quærit Bucholtzerus, optime quadrent sorori, nempe *res fæda & exterminanda est*.

XIV. Quæ ergo nubit sororis marito, itidem rem fædam & exterminandam operatur. Nec est, quod quis excipiat, disparè hic esse rationem. Fœminæ nefas esse duobus fratribus successive nubere, propter confusionem seminum cognatorum in uno subjecto, & sic propter incestum. Viro autem duas sorores successive ducere licitum esse, cum in diversis personis semina non confundantur. Siquidem prohibitio graduum non a seminum prohibitione, sed a propinquitate carnis dependet, quæ in uxore fratris & uxoris sorore eadem est. Denique versum 18. non pertinere tanquam speciem ad genus illud versu 6. lubens concedo, de reliquis, fratria & privigna v. 16. & 17. nego. *Capite III.* ostendimus, regulam illam generalem ad omnes affinitatis gradus referri, quia non tantum caro mea, quales sunt parentes, fratres & sorores Lev. xx. 1. Gen. xxxvii. 27. sed & caro carnis, sive propinqua carnis, propinqua propinqui, quales sunt uxor fratris, & uxoris soror, prohibentur. Et cur magis admittit exceptionem illam Deut. xxv. 5. seq. Lex, quæ extat Lev. xvi. 16. quam lex generalis versu 6. Ab eodem legislatore utique profecta, etsi magna sit differentia inter propinquos proximos & paulo remotiores. Nec video, quomodo prohibitionem versu 17. velit eximere a regula generali, cum illic ipsa vox reperiatur *proximam* sive *carnem* significans, quæ extat commate 6. cum ergo mater & filia sint proximæ & una caro, vitricus etiam est privignæ propinquus ob ejus matrem, quam duxit, ideoque est propinquus propinquæ.

XV. Sequentia argumenta Avemanni ex versu 18. desumpta confutare Bucholtzero facile erat; siquidem mulier ibi vetita, qualiscunque illa sit, ad tempus vitæ restringitur, uti videre est *Dissert. nostra prima* loco citato. Pergit Avemannus, si uxor patris non est ducenda versu 14. Ergo nec filia sororis defunctæ uxoris, & per consequens uxor soror ipsa; quia hæc tibi uno gradu propinquior est, quam filia ejus. Respondet iterum Bucholtzerus ex Luthero, personas, non gradus prohibitos, & disparem esse rationem inter uxorem patris & sororis uxoris filiam. Quod nos confutavimus *Cap. VI. Th. XIII. & seqq.* etsi casum de uxoris sororis filia, a *Facult. Jurid. Viadrina, & Theologica in Academia Regiomontana An. 1675.* dispensabilem declaratum esse, testetur Cl. Strykius ad *Brunn Jur. Eccles. lib. II. cap. XVI. §. 26.* Mirum autem alicui videatur, Bucholtzerum nobiscum fateri, filiam fratris defunctæ uxoris esse prohibitam, nec tamen idem concedere de ipsa sorore uxoris. Ita enim in sequentibus ad Avemanni argumentum, *ubi gradus remotior est prohibitus, ibi etiam propinquior, atqui in matrimonio cum filia defunctæ uxoris remotior est prohibitus;* respondet, majorem concedo, ubi idem genus est consanguinitatis & affinitatis; nego in generibus diversis. inter me & uxoris meæ fratris filiam est vera affinitas matrimonium impediens, quia hæc est cognata uxoris meæ, sed inter me & defunctæ uxoris, fratris viduam nulla est affinitas matrimonium impediens. Quod tamen non procedit de uxoris sorore, cujus filia est vetita propter sororem.

XVI. Pergit Bucholtzerus: Quæcunque lex non est congenitum menti dictamen, in prima creatione a Deo nobis impressum, in natura adhuc utcunque reliquum, quo cognoscimus, honesta esse facienda & cœtera, illa lex non est naturalis. atqui leges, non duces viduam fratris, sororem uxoris, & similes, non sunt congenitum menti dictamen. Id ex eo probat, quod non fuerit congenitum menti Abrahami & Jacobi. Abraham enim duxit fratris filiam, Jacob uxoris sororem. Ad instantiam Avemanni, jura illa *Levit. 18.* obligare omnes gentes, iisque pœnam propter transgressionem irrogare & in N. T. habere locum; Respondet Bucholtzerus, Leges in linea recta tantum obligare gentes, & in N. T. reliquas non item. De istis omnibus in sequentibus disserendi dabitur occasio. Hic tantum respondeo ad exem.

exemplum Jacobi, qui duas sorores duxisse dicitur Gen. xxix. Nequaquam eorum sententia probanda, qui eo tempore & loco, nempe ante legem & extra terram Canaan, ejusmodi nuptias licitas fuisse volunt. Neque Pontificii, Bucholtzerus & similes exinde recte concludunt, gradus cognationis & affinitatis Levitici xviii. prohibitos, non pertinere ad jus naturæ, sive ad legem divinam, ad quam omnes obligantur. Ecquis enim omnia facta patriarcharum censerebatur laudanda & imitanda, etiam ubi a lege divina deflexerunt? Sanctissimi etiam in multis impingunt, & suis non carent nævis, quemadmodum pluribus ostensum a nobis, in *prima Dissertatione*, ubi de eorum polygamia. Variæ leges & cordi hominis per creationem impressæ, & patriarchis revelatæ, in animis fidelium obliterari & obsolescere potuerunt, cum ejusmodi non primario sed secundario juri naturali, quod ab intelligentioribus concluditur, sint annumerandæ. Et si Jacobus quadantenus excusandus sit cum soceri fraude altera soror obtrusa, non per libidinem ducta. Ejus enim intentionem non fuisse Leam cum Rachele ducendi, historia abunde docet. De Abrahamo egimus *Cap. v. Th. xxxv.* Inter fratres & sorores connubium non pugnare cum jure naturali, sine ratione probat Bucholtzerus ex primis post Adamum nuptiis contractis, sicut visum eodem Capite citato.

XVIII. Denique hujusmodi matrimonium illicitum declaratum esse a *Facult. Theol. Leydensi An. 1655.* docet *Consilium iv. Operum Cocceji Tomo vi.* insertum, idque ex Levit. 18. 16. juxta interpretationem Calvinii, *Si retegitur fratris turpitudine, ubi frater ejus viduam ducit, non minus retegitur turpitudine sororis, cum ejus marito nubit altera soror.* Ubi etiam ad exceptionem, quod inter personas, de quarum recens contracto matrimonio consulta Facultas, neque ante neque post matrimonium ulla intercesserit sanguinis commixtio, & per consequens nulla detur affinitas, respondetur, consensum, non vero concubitum, facere matrimonium, virum & foeminam unam esse carnem, ex quo a Deo conjuncti sunt per pactum Matt. 19. 5. 6. Mal. 2. 14. Deut. 22. 24. & similia. Quæ lucem accipient ex sequenti casu.

XVIII. *Quæstio tertia.* An alicui fratris defuncti sponsam, item an sponsæ defunctæ sororem, ducere fas sit? Resp. Hic sane minor difficultas, conjugio per carnalem commixtionem non consummato. Theologi *Rostochiensis Acad. an 1616.* referente *Dedeken-*